DECANUS

ET RELIQUI PROFESSORES

FACULTATIS IURIDICAE LIPSIENSIS

MEMORIAM

CHRISTIANI FRIDERICI KEES

DIE XIII. M. FEBRUARII A. MDCCCXLIV.

HORA IX.

IN AUDITORIO IURIDICO

PIE CELEBRANDAM

INDICUNT.

PRAEMISSA EST:

Succincta interpretatio fragmenti 7. §. *ult. D. XIV,* 6.
de senatusconsulto Macedoniano.

Interpretatio fragmenti 7. §. ult. D. XIV, 6. de senat. Maced.

Haud pauca sunt, quae in eo Digestorum titulo, qui de senatusconsulto Macedoniano inscribitur[1]), dubia et controversa dici possint. Ex multis unum tantum, reliquis pro tempore missis, hoc loco accuratius exponere placet. Est enim tale, cuius interpretatio etiam sola per se stare possit, nec fines commentarioli, a nobis nunc scribendi excedere videatur.

Variae sunt causae, in quibus senatusconsultum Macedonianum ita cessat, ut aut filiusfamilias ipse, qui mutuam pecuniam contraxit, aut parens, aut uterque exceptionem opponere non possit. Spectant huc etiam haec verba, quae in Severi et Antonini rescripto legimus[2]).

> „Zenodorus, si suae potestatis constitutus novatione facta fidem suam obligavit, vel alias agnovit debitum, non esse locum decreto amplisissimi ordinis, rationis est.“

Id quidem dubium non est, nihil interesse, quo modo, quam filiusfamilias mutuam sumpserat pecuniam, suae potestatis constitutus,

1) Dig. lib. XIV. tit. 6.

2) c. 2. C. IV, 28. ad senat. Mac.

agnoverit, utrum expressis verbis, an factis, quae tacite agnoscendi animum exprimunt. Multum autem disputatum esse video de eo, qui paterfamilias factus, partem debiti solverit. Nam, etsi haud dubie solvendo ipsam debiti partem solutam agnoverit, tamen quid de reliqua debiti parte statuendum sit, disceptatur. Sunt enim, qui partis solutione totum debitum agnosci perhibeant, nisi forte, qui solverit, protestatione interposita, expresse se reliquam partem non agnoscere declaraverit. Verum nec desunt, qui omnem talis solutionis vim et effectum ad id, quod solutum est, restringentes, in reliqua debiti parte Macedoniani senatusconsulti exceptionem debitori intactam manere existiment[3]).

Quarum opinionum licet posteriorem hodie paucissimi sequantur, tamen ut veriorem amplecti non dubitavi. Eoque magis operae pretium erit, rem non semel tractatam denuo accuratius investigare, quod nec ab iis, qui mecum sentiunt, omnia causae momenta penitus absoluta esse videntur.

Controversiae occasionem et quodam modo fontem quaerentibus locus Ulpiani[4]) occurrit, qui ipsam, de qua agitur, quaestionem

---

3) Ne longa scriptorum enumeratione ea, quae in multis libris inveniuntur, repetere cogamur, licebit laudare *Glueck Ausführl. Erläuter. der Pand.* in tom. XIV. pag. 323. longam scriptorum seriem in utramque partem disputantium enumerantem. Quibus tamen addendi sunt: *Muehlenbruch Lehrb. des Pand.-Rechts.* tom. III. §. 575. not. 23. *Francke Civil. Abhandl.* p. 128. *Goeschen Vorlesungen über das gem. Civ.-Recht.* tom. II. p. 307. *Puchta Lehrb. d. Pand.* §. 292. *v. Vangerow Leitfad. für Pand.* tom. I. p. 375. sq.

4) Fr. 7. §. 16. D. XIV. 6. sen. Maced.

tractans, varias passus est interpretationes. Numquam enim, ut equidem opinor, nisi ULPIANO auctore, res ad tale inter iurisconsultos pervenisset dissidium.

Ne autem disputatio et interpretatio nostra magis verbis inhaerere, quam rationem ipsam reique naturam sequi videatur, iuvat rem ita adgredi, ut primo loco, quid ratio ipsa flagitet, inquiramus et quo modo quaestionem nostram decidere oporteat, si nobis, omni specialis legis auctoritate destitutis, proponatur. Hoc enim modo facillime deinceps verae verborum ULPIANI interpretationi via munietur.

Ordiendum est ab eo, quod et ab adversariis concedi video. Nec enim id negare audent, fieri et cogitari posse, ut qui partem debiti, durante patria potestate contracti, paterfamilias factus solverit, non totum debitum, sed tantum eam, quam solvit, partem agnoscere voluerit. Verum hoc tunc demum locum habere existimant, si protestatione interposita solutio facta sit [5]). Quum autem, ut inter omnes constat, protestationis auxilio in iis tantum factis egeamus, quae, nisi protestemur, aut certe, et sine ulla dubitatione, aut ex aliqua praesumtione contrariam nostram voluntatem declarant, diligenter, quid in eo, quae a nobis proposita est, causa ipsi iuris rationi magis consentaneum ideoque praesumendum sit, inquiramus. Hoc enim in omni re dubia praesumere, ipsae leges aperte nobis suadent [6]).

Ac primo quidem Macedoniani senatusconsulti sanctione ius aliquod filiisfamilias concessum esse, manifestum est. Quamquam

---

5) GLUECK c. l. p. 326. 6) Fr. 19. D. I, 3. legg.

enim verum est, senatum non tantum filiisfamilias, sed etiam parentibus eorum prospicere et consulere voluisse, tamen hanc ipsam ob causam exceptio senatusconsulti tam filiifamilias, quam parentis commodum spectans, ius continet, utrique concessum. Sic fit, ut filius, sui iuris factus, solvendo debitum agnoscens, re vera senatusconsulti beneficio renunciet. Quod autem de omnibus renunciationibus praescriptum invenitur, eas strictae interpretationis, nec praesumendas esse[7]), hoc vel maxime in nostram causam cadit. Eo minus renunciationem exceptionis senatusconsulti Macedoniani, in favorem creditoris, praesumere licebit, quod, ut clarissime docemur, *in odium creditoris* Macedonianum auxilium introductum est[8]).

Et his quidem praemissis, ad ipsam solutionis causam propius accedamus. Solvit debitor, paterfamilias factus, sed partem tantum solvit. Hanc solutionem si nulla alia ratione habita per se spectemus, ad id tantum pertinere, quod solutum est, nemo negabit. Fieri enim, ut iam supra demonstravimus, potuit, ut partem tantum debiti agnoscere vellet et ideo partem tantum solveret. At, adversarii inquiunt, partis solutioni inest constitutum, quo solvens se reliquam quoque debiti partem soluturum esse, promittit[9]). Quod qui dicunt, non probant, sed id, quod probandum erat, aliis verbis repetunt. Id enim ipsum quaeritur, an tale constitutum partis insit solutioni. Nullum

7) Fr. 34. §. 2. D. legat. (II.) c. 5. X. renunc. I, 9.

8) Fr. 40. pr. D. XII, 6. cond. ind. fr. 9. §. 4. D. XIV, 6. senat. Mac.

9) Glueck c. l. p. 322. sq.

autem in iuris romani fontibus ne levissimum quidem reperitur vestigium eius sententiae, talem constituti vim partis solutionem habere [10]). Quodsi igitur eiusmodi constitutum nullo modo probari potest, alia opus est causa, qua eum, qui partem debiti solverit, animum reliquam debiti partem agnoscendi habuisse, aperte probetur. Talem causam interdum ipsis factis, quae solutionem vel praecesserant, vel cum ea coniuncta erant, vel eam secuta sunt, inesse equidem non nego. Fac enim, creditorem debitorem, modo suae potestatis constitutum precibus ita adiisse, ut totius debiti solutionem peteret. Debitor negavit, hoc tempore se tantum pecuniae habere, ut toti mutui obligationi satisfacere posset. Creditor insistens nunc id tantum rogavit, ut, in recognitionem totius debiti, solvere inciperet. Quo facto debitor partem solvit. In tali quidem causa debitorem, partem solvendo, totum debitum agnovisse, non nego. Verum enimvero hoc non ex sola partis solutione intelligitur atque apparet, sed ex eis, quae solutionem praecesserunt. Itaque si in sola partis solutione subsistamus, longe aliter res sese habebit. Debitor enim ideo, quod non totum debitum, sed partem tantum solvit, reliquam partem non agnovisse, eiusque solutionem denegasse putabitur.

---

10) Hoc rectissime monuit Francke c. l. p. 128. Vix operae pretium esse videtur, refutare argumentum, quod Glueck c. l. p. 328. contra nostram sententiam ex fr. 39. fin. D. XXXI, 1. oper. lib. depromere conatus est. Quod enim ibi Pauli dictum legimus: „*non debet obligationem ex parte comprobare, ex parte tamquam de iniqua queri*“ id non ad senatusconsultum Macedonianum spectat, sed ad longe aliam liberti causam. Et ipse Glueck licere filiofamilias ingenue fatetur, solam debiti partem solutione vel aliqua novatione agnoscere.

At, adversarii ratiocinari pergunt, licet forsam res ipsa et natura aliud flagitare videatur, tamen ULPIANI verba ita sunt comparata, ut aperte refragentur. Nec omnium, quae in iure constituta sunt, ratio reddi potest idonea. Itaque accuratissima nunc opus est interpretatione eius Digestorum fragmenti, cuius auctoritati tantum tribuitur.

ULPIANUS lib. XXIX. ad Edict. [11]).

„Si paterfamilias factus solverit partem debiti, cessabit senatusconsultum, nec solutum repetere potest.“

Hoc ita adversarii nostri interpretantur, ut verba: „*cessabit senatusconsultum*“ a verbis: „*nec solutum repetere potest*“ studiose seiungentes, priora ad reliquam debiti partem, quae nondum soluta est, posteriora ad partem debiti solutam pertinere perhibeant. Quorum alterum quidem, quod ad partem iam solutam spectat, verum est, quum nondum soluti repetitio ne cogitari quidem possit. Quo autem iure verba: „*cessabit senatusconsultum*“ ad reliquam debiti partem, cuius ULPIANUS nullam mentionem fecit, referant, difficile est intellectu. Nihil enim verborum conceptioni magis convenire videtur, quam ut ULPIANI dictum ita prolixius interpretemur: Qui filiusfamilias mutuam sumpserat pecuniam, si paterfamilias factus partem debiti solverit, pro parte ea, quam solvit, debitum antea contractum agnovisse putatur. Ideo, quatenus creditori satisfecit, senatusconsulti auxilio ita destitutus est, ut solutum repetere non possit.

11) Fr. 7. §. 16. D. senat. Mac.

Nec movemur eo, quod obiicitur [12]), nullam probabilem sensum habere ULPIANI dictum, nisi verba: „*cessabit senatusconsultum*" ad partem debiti nondum solutam referantur, quum ratione eius, quod iam solutum est, exceptio Macedoniani senatusconsulti inutilis sit. Nam *exceptionis* senatusconsulti ULPIANUS nullam fecit mentionem, sed *senatusconsulti* omnino, ita ut, quae sequuntur verba: *nec solutum repetere potest*" prioribus verbis accuratioris explicationis aliquod addant temperamentum, ne forte quis ea latius patere ac debiti etiam partem nondum solutam spectare existimet [13]). Confirmari hanc interpretationem videmus alio eiusdem ULPIANI loco, qui eum, de quo hucusque egimus, proxime antecedit [14]).

„Hoc amplius cessabit senatusconsultum, si pater solvere coepit, quod filiusfamilias mutuum sumpserat, quasi ratum habuerit."

In hac causa, ab ULPIANO proposita, omnis senatusconsulti vis et effectus tollitur, ratione totius debiti, si parens solvere coeperit, id est partem solverit. Itaque, quum non necessarium videretur, hunc solutionis effectum ad partem iam solutam restringere, ULPIANUS

12) GLUECK cit. loc. p. 323.

13) Miretur forte quispiam, ULPIANUM expresse solutum repeti non posse pronunciare, quum per se clarum sit et manifesti iuris, non eam esse senatusconsulti vim, ut omnem mutui obligationem tollat, sed ut actionem tantum perimat. Sed causa in promtu est, modo insequentem PAULI locum respiciamus. fr. 8. D. eod.

14) Fr. 7. §. 15. D. eod.

verbis: „*cessat senatusconsultum*“ nihil praeterea addendum esse censuit.

Sed, quoniam ab iis, qui contra sentiunt, hunc ipsum Ulpiani locum alia ex causa, tamquam suae sententiae gravissimum munimentum, proferri video, necessarium est, eum acrius inquirere. Maximam enim inter causam patris et filii partem debiti solventis similitudinem locum habere existimantes, propter causae paritatem, idem in utroque casu statuendum esse censent. Nec enim rationis esse, solutione partis a patre facta totum debitum agnosci, solutione partis a filiofamilias ipso facta non *totum* debitum, sed tantum partem iam solutam agnosci. Verum, qui ita ratiocinantur, res longe varias miscere mihi videntur. Tantum enim abest, ut parens et filiusfamilias partem debiti solventes pari modo totum debitum agnoscant, ut uterque in alia causa versetur. Sic fit, ut ex causae paritate conclusionem derivare non liceat. Quaerentibus enim nobis, quid sit, cur senatusconsultum ratione totius debiti, Ulpiano *teste*, cesset, si pater solvere coepit, ipse Ulpianus respondet. Putatur parens *ratum habuisse ipsum contractum*, quo antea filiusfamilias sine consensu paterno mutuam sumpserat pecuniam. Spectant huc tam verba: *quasi ratum habuerit*, quam antecedentia verba: *solvere coepit.* Nec enim ita locutus est Ulpianus: *partem solvit*, quod vel maxime notandum est. Nam qui *incipit solvere*, declarat, se totum debitum agnoscere ideoque solutionem coeptam ad finem perducere, id est, etiam reliquam debiti partem deinceps solvere velle. Accedit, quod debitum quidem filiifamilias divisionem recipit, contractus autem ipse, quo filiusfamilias olim mutuam

pecuniam sumpsit, non item. Id vero solum hic quaeritur, an pater *contractum illum ratum habere velit.* Quem quidem contractum si ratihabuerit, eo magis totum ratihabuisse putandus est, quod omnis contractus alieni ratihabitio in dubio ad totum contractum pertinet. Idem Iustinianus ipse in notissima, quam de senatusconsulto Macedoniano emisit, constitutione pronunciavit. Ita enim de ratihabitionis paternae effectu constituit, ut eam non ad partem mutuae pecuniae, sed ad ipsum contractum indivisum pertinere velit.

Iustinianus A. Iuliano P. P.[15])

„Si filiusfamilias citra patris iussionem, vel mandatum, vel voluntatem pecunias creditas acceperit, postea autem pater ratum contractum habuerit, veterum ambiguitatem decidentes sancimus, quemadmodum si ab initio voluntate patris, vel mandato filiusfamilias pecuniam creditam accepisset, obnoxius firmiter constitueretur, ita et si postea ratum pater habuerit contractum, validum esse huiusmodi contractum, cum testimonium paternum respuere satis iniquum sit."

Longe aliter rem se habere, si filiusfamilias, paterfamilias factus, partem mutuae pecuniae solverit, neminem facile fugiet. Testantur hoc ipsa, quibus Ulpianus usus est verba, longe aliter concepta. Aliud enim est, *partem solvere*, aliud *solvere incipere.* Porro in filio, qui partem debiti solvit, neque de ratihabitione mutui olim contracti agitur, neque de *contractu* iterum agnoscendo, qui agnitione nulla eget, sed de nova quadam *veteris debiti* agnitione[16]). Haec

15) C. 7. pr. C. IV, 28. sen. Mac.
16) C. 2. C. eod. Verb. „*vel alias agnovit debitum.*"

autem non modo divisionem recipit, sed etiam, quum solutione sola nitatur et declaretur, haud latius patebit, quam ipsa solutio facta. Quod vel maxime ex alio Ulpiani loco apparet [17]).

„Sed si paterfamilias factus rem pignori dederit, dicendum est, exceptionem ei denegandam usque ad pignoris quantitatem."

Pignoris enim datio quodammodo vicem tenet solutionis, cum creditor pigneratitius rem obligatam vendere et ex pretio sibi ipse solvere possit. Sic fit, ut optime sibi constiterit Ulpianus, idem de solutione, quam de pignoris datione docens [18]). Quodsi autem eam, quam hucusque refellere conati sumus, sententiam sequamur, quid Ulpianus sibi voluerit, equidem non video. Sibi ipse enim repugnare videtur. In dubio autem praeferenda est ea interpretatio, quae varias legum sanctiones apte sibi invicem conciliat, ei, quae earum dissidium statuit.

Nec verborum conceptio „*sed si*," qua Ulpianus in eo loco, quo de pignore dando mentio fit, usus est, nostrae obstat interpretationi. Licet enim adversarii hoc vel maxime urgeant, verbis: *sed si* necessario talem causae decisionem indicari perhibentes, quae ab antecedentis causae decisione diversa, aliam iuris rationem sequatur, tamen non difficile est, huius argumenti levitatem demonstrare. Id

---

17) Fr. 9. pr. D. XIV, 6. sen. Mac.

18) Itaque prorsus non egemus longa inquisitione, qua adversarii se defendere student, quam ob causam Ulpianus aliud de solutione, aliud de pignoris datione statuerit. Glueck c. l. pag. 329 sq.

quidem verum est, utriusque decisionis, ex eisdem libris ad Edictum depromtae, auctorem eundem esse ULPIANUM. Sed non uno disputationis tenore ita continentur, ut deinceps, quod de filio solvente legimus, sequatur decisio causae de filio rem pignori dante. Nam interiectum est aliud PAULI fragmentum [19]), quod utramque ULPIANI decisionem interrumpit. Nec id verum est, quod vulgo docetur, in iuris romani fontibus verba: *sed si* eam semper habere vim, ut decisiones et sententias, sibi oppositas et quodammodo repugnantes denotent. Multa enim exempla proferre licebit, ex quibus apparet, romanos iurisconsultos verbis: *sed si* haud raro ita usos esse, ut eis *idem significaverint*, quod verbis: *sed et si* solet significari. Luculentissimum exemplum ex eiusdem ULPIANI libris depromere libet.

ULPIANUS lib. XVII. ad Sab. [20])

„Et si apes in eo fundo sint, earum quoque usus fructus ad eum pertinet. *Sed si* lapidicinas habeat et lapidem caedere velit, vel cretifodinas habeat, vel arenas, omnibus his usurum Sabinus ait, quasi bonum patremfamilias. Quam sententiam puto veram.“

Itaque non opus erit, ad lectionum varietates confugere. Quamquam non desunt Pandectarum recensiones, in quibus pro: *sed si* lectionem

19) Fr. 8. d. XIV, 6. sen. Mac.

20) Fr. 9. §. 1 et 2, d. VII, 1. usufr. Multa alia exempla proferuntur a GLUECK c. l. pag. 328. not. 46. quibus haud pauca alia addere liceret, si necessarium videretur.

reperimus: *sed et si*[21]). Denique id quoque attendendum est, quod Vir Cl. Francke[22]) subtiliter animadvertit, non deesse in utraque Ulpiani decisione diversitatis aliquod momentum, ad quod verba: *sed si*, si ea instanter urgere et quodammodo premere velimus, referri possint.

Sed haec hactenus. Properandum enim nobis est ad id, quod occasionem huic commentariolo dedit.

Legavit vir Illustris, Christianus Fridericus Kees, princip. Schwarzb. Rudolst. quondam a consiliis aul. in testamento die XXI. Mart. mens. MDCCCXXXVII condito Academiae nostrae quindecim millia thalerorum, quorum usurae inter quattuor vel quinque iuris Doctores, sive extraordinarios iuris professores, sive privatim docentes ita distribuerentur, ut per sex annos continuos quilibet eorum hoc beneficio frueretur. Hic autem modus legato adiectus est, ut quotannis ipso die, quo testator obiit, eorum, qui hoc commodo fruantur, aliquis oratione publica memoriam beneficii recolat piumque et gratum animum academiae palam significet. Qua re proximo die XIII. mens. Febr. h. a. hora IX in auditorio iurisconsultorum

VIR EXCELENTISSIMUS, IURIUM CONSULTISSIMUS
ET DOCTISSIMUS

D. BRUNO SCHILLING,

IURIS PROFESSOR PUBLICUS EXTRAORDINARIUS

solemnem orationem habebit: *de vera piarum causarum notione stabilienda.*

---

21) Hanc lectionem v. c. Petrus ab Area Baudoza Cestius habet.
22) C. l.

Quam quidem solemnitatem ut VOS, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, PRINCIPES CELSISSIMI, COMITES ILLUSTRISSIMI, UTRIUSQUE REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI, Vestra praesentia condecorare dignemini, ea qua par est, observantia rogamus.

Scrib. Lips. d. I. Mens. Febr. MDCCCXLIV.



LIPSIAE,
LITERIS STARITZII, TYPOGR. UNIVERSIT.

